

Naturae mirabor opus, non cura nepotum  
 Laetaque jacturis ubi luxuriatur egestas.  
 Hic solidae sternunt humentia litora arenae,  
 Nec retinent memores vestigia pressa figuras.  
 Spectaris vitreo per levia terga profundo, 55.  
 Secreti nihil amnis habens: utque almus aperto  
 Panditur intuitu liquidis obtentibus aër,  
 Nec placidi prohibent oculos per inania venti;  
 Sic demersa procul, durante per intima visu,  
 Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti: 60.  
 Cum vada lene meant, liquidarum et lapsus aquarum  
 Prodit caerulea dispersas luce figuras,  
 Quod sulcata levi crispatur arena meatu,  
 Inclinata tremunt viridi quod gramina fundo;  
 Utque sub ingenuis agitatae fontibus herbae 65.  
 Vibrantes patiuntur aquas, lucetque, latetque  
 Calculus, et viridem distinguit glarea muscum.  
 Nota Caledoniis talis pictura Britannis,  
 Cum virides algas et rubra corallia nudat  
 Aestus, et albentes, concharum germina, baccas, 70.  
 Delicias hominum locupletes, quaeque sub undis  
 Assimulant nostros imitata monilia cultus.  
 Haud aliter placidae subter vada laeta Mosellae  
 Detegit admixtos non concolor herba lapillos.  
 Intentos tamen usque oculos errore fatigant 75.  
 Interludentes examina lubrica pisces.  
 Sed neque tot species, obliquatosque natatus,  
 Quaeque per adversum succedunt agmina flumen,  
 Nominaque, et cunctos numerosae stirpis alumnos  
 Edere fas; haud ille sinit, cui cura secundae 80.